

Appendix. — Europa Nro. 32.

Regnum Mortuorum.

5. Aprilis 1808.

Loco Dialogi esto narratio revolutionis, quae 19. Martii in Hispania evenerat.

Attigimus paucis in postremis paginis nostris Revolutionem, quae 19. Martii Madriti eruperat; antequam eam sensu litterarum Parisiensium fusius describamus, oportet Lectores ad quaedam adjuncta, quae praecesserant, reflectere. Meminerint quippe, 30. Octob. a. p. detectam fuisse conspirationem, de qua dicebatur: Quod Princeps Asturiae Patrem suum de throno deturbare, et seipsum elevare, ac notanter etiam Principem Pacis adgredi velit. Haec detecta conspiratio produxerat strenuam investigationem, et sententia lata; qua Rex filio suo Principi Asturiae ignoverat, sed Conspirationis socii, utpote Dux *Infantado* (Silva) Canonicus *Escoignitz*, Educator Principis, Marchio *Ayerbo* Comes *Orgaez*, Comes *Bornes*, DD. item *Villena*, et *Giraldo*, velut Principi adhaerentes, ex urbe relegati sunt.

A. 15. usque 19. varii partim *Madriti*, partim in *Aranjuez* evenerant tumultuosi motus, ad quos sedandos 16. Martii prodixit sequens Proclamatio Regis: — Dilecti subditi! Inquietudo, quae vos in praesenti crisi occupat, est novum fidelitatis vestrae argumentum. Ego vos amo, quemadmodum filios, et ideo propero ad vos consolandos. Noveritis, exercitum chari mei amici, et foederati Galliarum Imperatoris mente amica transire per provincias meas, nec alia intentione; quam ut loca illa, in quibus hostis excensionem tentare posset, occupet. Convocatio Praetorianorum nostrorum nequaquam eo fine instituta est, ut aut me tueatur, aut me in itinere meo comitetur, quod malevoli vobis tanquam necessarium persuadere conantur. In medio fidelium subditorum meorum nihil est, quod mihi metuendum foret; et si necessitas posceret, quid esset, quod ego a generositate vestra sperare non possem? Non! fideles mei, hanc necessitatem non videbit Hispania: Estote itaque tranquilli; Exhibete, quemadmodum hactenus fecis is, copiis mei foederati bonae hospitalitatis officia, et mox tranquillatas in turbatos vestros redibit animos.

Post haec die 18. publicata est Madriti et in Aranjuetz altera Proclamatio Regis, quae aannunciat Populo, Principem Pacis omni dignitate exutum esse, RĒgemque ipsum Duce[m] militiae futurum. Ad haec invasit populus domum et Principis, et complurium Ministrorum, ubi varios commiserat excessus. Ipse Princeps Pacis, qui 30 horis in domo sua latuit, tandem interceptus est. Ad haec 19. sub vesperam prodivit Proclamatio sequens: Cum infirmitas corporis mei ferendo arduo regiminis oneri non amplius sit, atque adeo pro reparanda valetudine, qua privatus, in calidius clima memet retrahere debeam; praemissa seria, maturaque deliberatione, Coronam regni dilectissimo filio meo, Regni haeredi, Principi Asturiae cedere constitui; consequenter firmissima mea voluntas est, ut eidem velut Regi, ac Domino naturali omnium provinciarum mearum debita per omnes obedientia exhibeatur. Actum in Aranjuetz 19. Martii 1808. *Rex.*

His praemissis 20. prodivit Proclamatio novi Regis Ferdinandi VII., qua confiscatio Bonorum Principis Pacis praecipitur, promittitque Rex, se mala omnia, quae idem populo causaverat, compensaturum. Dux Infantado est nominatus Colonellus Praetorianorum, et omnes, qui nuper scripti fuerant, revocati sunt; Tenor autem Proclamationis est; *Don Arias Mor* Governator Interimalis! Rex et Dominus Noster Ferdinandus VII. submisit mihi resolutionem suam, quae facultates omnes Principis Pacis Emanuelis *Godoy* confiscari jubet. Suam Majestatem decrevisse, quod mox in hanc Metropolim ventura, seque Regem proclamari curatura sit; velle tamen Suam Majestatem in populo Madritensi videre argumentum obedientiae, ut scilicet in quiete, tranquillitateque semet contineat, promittens, se pro cunctis, quae populus sui causa passus fuisset, satisfactionem eidem procuraturam, omnemque se daturam operam, ut ejusdem populi fundare queat felicitatem. Sua Majestas nominavit Duce[m] Infantado Colonellum Praetorianorum suorum, omnesque eos, qui sui causa exilio damnati essent, revocat, inque gratiam regiam recipit. Haec vobis altissimo jussu regio communicanda habeo, ut ad omnium deveniant notitiam.

Eodem die prodivit altera etiam Proclamatio Consilii ad populum Madritensem, cujus continentiae sunt: — Oportet felicissimo hoc momento publicam non turbari tranquillitatem, quo Rex Ferdinandus VII. ad thronum Hispaniae elevatur, hoc facto probabunt fideles subditi amorem, devotionemque suam erga Regem suum, vicissim Sua Majestas in sancto verbo regio promittit, se nihil non acturam, quod ad revehendam, firmandamque populi felicitatem ali-

quid conferre poterit; prima tamen omnium curarum, et votorum ejus est, reparatio publicae tranquillitatis, quod ut eveniat, monet, et sperat supremum hocce consilium, quemvis bene moratum civem domum rediturum, omnesque in pace, ac perfectissima mansuros tranquillitate; prout non dubitat, quemque faustissimo hocce momento eo consensurum, ut fidelitatem, sincerum affectum, devotionemque suam erga novum Regem suum facto probare possit.

Diarium Politicum.

Corpus Diplomaticum Holmiae, utpote Comes *Mollæ*, Baro *Bender*, et D. *Tarrach* nervosam Svecico Ministro Baroni *Ehrenheim* circa arrestationem Legati Russici D. *Alopaeus* exhibuerant Protestationem, quam idem se Regi exhibiturum vovit; sed nullum secutum est responsum; hinc 5. Martii idem corpus Diplomaticum novam Praesidi Cancellariae dederat Notam; Ast 7. Minister *Ehrenheim* advocatis ad se corporis diplomatici Membris, negativum Regis declaravit eis responsum; Ad haec totum Corpus Diplomaticum renovavit oralem suam et scriptam declarationem, atque Protestationem contra hanc illegalem procedendi rationem. Holmiae percrebuit rumor, copias danicas in Norvegia a confinibus svecicis recedere, quod tamen alienum a vero est. Id quoque mutuo in amicas aures susurratur, transitum copiarum Gallo-Danicarum per fretum Balticum 2 et 8. Aprilis attentandum fore, quem naves anglicanae propter glaciem impedire non poterunt; ac eodem tempore debebunt ex Norvegia 10,000 Danorum in Sveciam irrumpere, qui se cum aliis Gallis et Danis, qui per Balticum trajecerunt, ad Gotthenburgum conjungent.

Liburno 19. Martii. Panormo scribitur 19. Februarii. Jussu Aulae Panormitanae naves danicas; quae in portibus siculis erant, sequestro affectas; naves ipsas remis nudatas, classarios autem exscendere coactos esse; Capitanei libere per urbem oberrant, classarii autem in arce clausi sunt. Aderant ad haec Conductores anglici, qui milites donicos ad defectionem allicere omnibus studebant artibus, sed hi repudiarunt quasvis promissiones, declararuntque ingenue, se nemini, quam Regi suo servire velle. — Ita sunt Dani. — Ad Meridiem!

Dissensiones omnes inter Galliam, et Algiriam sopitas esse dicit *Monitor* de 31. Martii. Novus Dey Algiriensis agnoscit Genuenses pro subditis, Italos autem pro foederatis Galliae. Omnes Genuenses, et Itali, qui in Captivitate incidierant, libertati restituti sunt, Massiliamque advenierunt. Negotiorum Gestor Gallicus D. *Dubois* ad haec

multum contulit, et per id semet saepius periculis exposuit.

D a n i a.

Hafniae 26, Martii. Hodie advenit horsum Legatio Danica Holmia. Naves anglicae pervagantur utrumque fretum balticum. Fama percrebuit, Regem Sveciae obiisse. Classis Svecica 17. navium linealium dicitur ex Caroli Corona excurrisse, et Meridiem versus cursum direxisse. Populus Svecicus in massa provocatus est ad arma; copiae regulares magno numero tendunt in provincias Sveciae Meridionales; In Scania contrahatur exercitus 30 Millium.

Litterae Petropolitanae memorant; Urbem Tamathus in Finnia per copias russicas jam obsessam esse; et exercitum russicum in dies ultra progredi, quibus Sveci haud multum recitant; putantes copias has non multa sibi damna inferre posse; cum per Lapponiam progredi deberent, quod infinitis obnoxium est difficultatibus; unde cura Suecorum omnis eo directa est, ut sinum Bothnicum navibus suis tegant, ne Russi, qui naves alioquin non habent, per hunc sinum trajicere possint.

G e r m a n i a.

Casselia 31. Martii. Rex, edito Decreto de 22. Martii praecipit, ut quisquis miles, qui hactenus apud unum aut alterum illorum Principum in servitio fuerat, ex quorum ditionibus nunc regnum Vestphaliae componitur, nisi aut uxoratus sit, aut 35 aetatis annum superaverit, aut capitulationis tempus exegerit, pro transfuga habeatur, vinculis tradatur, et juxta Decretum 12. hujus mensis tractetur, si, facta per concernens Departamentum provocatione, semet non siterit. — Decreto Regio de 4. Martii erigitur in hac metropoli schola militaris pro 50 Alumnis. — In Journal de Paris legitur sub 25. Martii; omnia commembra Tribunalis Cliviae repente morbo quodam periculoso correpta esse, cujus causa esse assignatur summa immundities carcerum, quibus domus, sessionibus Tribunalis deserviens, contigua est.

multum contulit, et per id semet saepius periculis exposuit.

D a n i a.

Hafniae 26. Martii. Hodie advenit horsum Legatio Danica Holmia. Naves anglicae pervagantur utrumque fretum balticum. Fama percrebuit, Regem Sveciae obiisse. Classis Svecica 17. navium linealium dicitur ex Caroli Corona excurrisse, et Meridiem versus cursum direxisse. Populus Svecicus in massa provocatus est ad arma; copiae regulares magno numero tendunt in provincias Sveciae Meridionales; In Scania contrahitur exercitus 50 Millium.

Litterae Petropolitanae memorant; Urbem Tamathus in Finnia per copias russicas jam obsessam esse; et exercitum russicum in dies ultra progredi, quibus Sveci haud multum recitant; putantes copias has non multa sibi damna inferre posse; cum per Lapponiam progredi deberent, quod infinitis obnoxium est difficultatibus; unde cura Suecorum omnis eo directa est, ut sinum Bothnicum navibus suis tegant, ne Russi, qui naves alioquin non habent, per hunc sinum trajicere possint.

G e r m a n i a.

Casselia 31. Martii. Rex, edito Decreto de 22. Martii praecipit, ut quisquis miles, qui hactenus apud unum aut alterum illorum Principum in servitio fuerat, ex quorum ditionibus nunc regnum Vestphaliae componitur, nisi aut uxoratus sit, aut 35 aetatis annum superaverit, aut capitulationis tempus exegerit, pro transfuga habeatur, vinculis tradatur, et juxta Decretum 12. hujus mensis tractetur, si facta per concernens Departamentum provocatione, semet non siterit. — Decreto Regio de 4. Martii erigitur in hac metropoli schola militaris pro 50 Alumnis. — In Journal de Paris legitur sub 25. Martii; omnia commembra Tribunalis Cliviae repente morbo quodam periculoso correpta esse, cujus causa esse assignatur summa immundities carcerum, quibus domus, sessionibus Tribunalis deserviens, contigua est.